



MARIA DEIPARA SINE LABE CONCEPTA  
MATER ORPHANORUM

*Ab ungue Leonis Aveni libera eas, Domina.*

PIUS PP. IX.

# OFFICIA PROPRIA

PRO CONGREGATIONE

CLERICORUM REGULARIUM  
DE SOMASCHA



ROMÆ

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MCMXXIII



## APPENDIX

### I.

#### Decreta nondum edita.

#### I. DE FESTO PATROCINII BEATÆ MARIÆ VIRGINIS MATRIS ORPHANORUM.

$\frac{81}{920}$  C.

#### CONGREGATIONIS CLERICORUM REGULARIUM DE SOMASCHA.

Dei Genitricis assiduo patrocinio fretus atque adjutus Sanctus Confessor Hieronymus Æmiliani (uti ex Bulla ipsius Canonizationis, aliisque authenticis documentis compertum est) divino afflante Numine, pueris orphanis, omni humano præsidio destitutis, recipiendis atque instituendis impensa caritate ita incubuit, ut Pater orphanorum meruerit appellari. Ejusmodi cælestis Patrocinii grato ac devoto animo memoriam recolere cupientes Clerici Regulares Congregationis de Somascha, qui Sanctum eundem Hieronymum Patrem suum legiferum venerantur, Festum Patrocinii Beatæ Mariæ Virginis, titulo Matris Orpha-

norum, die 27. Septembris quotannis agere rati sunt, qua die Sanctus ipse Hieronymus potenti Virginis ope, vinculis olim animæ simul et corporis mirifice solutus fuit.

Quamobrem Rñus P. Procurator Generalis ejusdem Congregationis de Somascha, supplicia vota depromens Sanctissimum Dominum nostrum Benedictum Papam XV enixis precibus rogavit, ut Festum Patrocinii Beatæ Mariæ Virginis, Matris Orphanorum, sub ritu Duplici II classis, iisdem Clericis de Somascha celebrandum concederet die 27 Septembris cum Officio ac Missa propriis, quorum schema approbandum humiliter subiecit.

Quare, ad juris tramitem, quum Eñus et Rñus Dñus Cardinalis Antonius Vico, Episcopus Portuen. et S. Rufinæ ac S. Rituum Congregationis Præfectus, Causæ Relator, in Ordinariis ipsius Sacri Consilii Comitii ad Vaticanum subsignata die habitis, exhibitum Officium et Missam de festo Patrocinii Beatæ Mariæ Virginis Matris Orphanorum proposuerit; Eñi et Rñi Patres sacris tuendis Ritibus præpositi, re mature perpensa, auditoque R. P. D. Angelo Mariani S. Fidei Promotore Generali, rescribendum censuerunt: *Pro gratia et Ad Eñum Ponentem cum S. Fidei Promotore Generali. Die 24 Maii 1921.*

Revisione demum enuntiati Officii et Missæ rite peracta, hisque omnibus Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papæ XV per eundem infrascriptum Cardinalem Sacræ Rituum Congregationi Præfectum fideliter relatis, Sanctitas Sua sententiam ejusdem Sacri Consilii ratam habuit et festum Patrocinii Beatæ Mariæ Virginis Matris Orphanorum die 27 Septembris, sub ritu Duplici II classis, Clericis Regularibus

de Somascha quotannis celebrandum concessit: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 25, iisdem mense et anno.

✠ A. Card. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinæ, *Præf.*  
L. ✠ S.

PHILIPPUS DI FAVA, *Subs.*

## II. - DE FESTO S. MAJOLI ABBATIS.

<sup>26</sup>/<sub>921</sub> C.

### CONGREGATIONIS SOMASCHÆ

Festum Sancti Majoli Abbatis Calendario in usum Congregationis Somaschæ sub ritu Duplici I classis cum Octava ab ipsius exordio insertum fuit; propterea quod primæ Ecclesiæ iisdem Clericis Regularibus concreditæ idem Sanctus Abbas Titularis erat in civitate Papiensi. Quum vero ultra jam sæculum defluerit, ex quo Clerici laudatæ Congregationis Papiense templum sancti Majoli custodiendum amiserint; Procurator Generalis ejusdem Congregationis vota Capituli sui Generalis humiliter depromens, Sanctissimum Dñum nostrum Benedictum Papam XV, suppliciter rogavit, ut enuntiatum Sancti Abbatis festum ad ritum simplicem redigi valeat in suamet Congregationis Calendario ac Proprio. Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Dño nostro Benedicto Papa XV tributis, ita precibus annuit, ut a Clericis Congregationis Somaschæ Festum Sancti Majoli Abbatis diei undecimæ Maji affixum sub ritu duplici tantum mi-